Invictissimo Heroi

GULIELMO TERTIO

D. G. *Mag. Brit. Fran.* & *Hiber.*

REGI

Carmen Triumphale De

PACE.

ACcipe Mænalios, *Rex Invictissime*, versus
  Quos posuit vestris docta *Camæna* focis.
Desine *sanguineum* vagina educere *ferrum*:
  Cesserunt *Marti* Gallica *Castra* tuo.
Jam domitum *cessant* ferventia bella per Orbem,
  Et Bellona ferox *Prælia nulla* movet.
Tympana nulla *sonant*: nullos Tormenta *boatus*
  Bellica dant Castris: Tela recondit *Ebur*.
Dametam vidi pascentem Colle Capellas:
  Tityrus insuetam vomere scindit humum.
Neglectos *Corydon* calamos inflabat: Arundo
  Jam venit in digitos, O *Melibæe*, tuos.

Et *cessant* lites, & jurgia sæva *quiescunt*:
Nemo movet *rixas*: Omnia *Pace* vigent.
Pastores tantum *calamis* & *versibus* Omnes
Contendunt: Nunquam *talia bella* nocent.
Fæcundis vidi florentes *vitibus* Agros:
Et sectus *curvâ falce racemus* erat.
Florida securæ *tondent* virgulta Capellæ:
Frondibus umbrosis *ruminat* omne *Pecus*.
Et *Satyri* graciles teneris colludere *Nymphis*:
Pan quatit hirsutis florida serta Comis.
Omnes *Campana* resonant de Turribus altis:
Accendit rutilos quæq; Platea *rogos*.
Et *Satyri* & *Nympha* lætas ductare Choreas:
Percutit & sacram doctus *Apollo* lyram.
Threitius vates modulamina læta ministrat:
Et *festum* claudit plausus ubiq; *diem*.
Lampades exornant fulgentes luce fenestras,
Vatibus & cunctis, *Rex*, Tibi pota salus.
Jamq; *Senex Neptune*, vacas, validoq; *Tridenti*
Fluctibus *innixus* carmina mira canis.
Namq; canebat uti *Russellus* vicerat hostes
Ignibus, & multo sanguine tinxit aquas.
Ut *Gallos* domuit scopulum *Barfloris* ad altum,
Unde ferunt * *Titulos* Hunc tenuisse *novos*.
Proteus occasum cecinit, *Sol Gallice*, vestrum:
Ureris Oceano, *Gallice Phœbe*, tuo.
Nec domat accensas *Neptuni* lympha favillas:
Ardet in *undoso Clara Carina* Mari.
Ignibus Anglorum consumptus *Gallicus* est *Sol*:
Ima petis *Pelagi*: *Lucida Stella*, vale.
Et cecinit Pugnas & Prælia *Numen aquarum*:
Quæ *fieri* doluit, *facta* referre juvat.
Ut *Tormenta*, refert, claro tonuere boatu:
Fumus & obscuræ Nubis ad instar erat.

* *Viscount Barfleur.*

Gallorum

Gallorum vires Neptunus Magnanimorum:
Dum canit, & *nullo* territa corda *metu*:
Aures arrexêre suas *Oceantides* Omnes:
Ingentem psausum *Cærula Regna* dabant.
Et circa *Oceanum* glomerantur *Naiades* Omnes:
Et solitis extant *Numina* quæq; vadis.
Mistaq; Cornicinis *Trytonibus* Agmina *Nymphæ*,
Sultat & in summis *Cærula Doris* aquis.
Dum *Bellona* furit, *Nymphæ* petiêre profundum:
Condideras vultus, O *Galatea*, tuos,
Ima petunt *Pisces*: *Neptuni* territa Regna:
Formidant *timidæ* bella cruenta *Deæ*.
Pervia vix *Pelagi* velocibus unda Carinis:
Vixq; suas *Tiphys* per mare portat opes.
Vix iter ingreditur timidus per Rura *viator*
Deserta, & raro est semita *trita* Pede.
Et *Montes* & *aquæ*, *Prædonibus* Omnia plena:
Et factus bello Mundus *Eremus* erat.
Sed cum *Pax* Terras summo respexit Olympo,
Et *tenebris* pulsis, Omnia *luce* vigent:
Securi *Zephyris* Nautæ jam lintea pandunt:
Et retinet celeres *Anchora* nulla Rates.
Crysolithis Oriente venis & Onusta *Pyropis*:
Et *Merces* portas, tuta Carima, tuas.
Velaq; dat ventis, & *Colchos* navigat *Argo*:
Per placidos fluctus *Aurea Lana* venit:
Mercuriusq; celer latum circumvolat Orbem:
Ad *Mercatores* nuncia læta ferens.
Invicto * *Regi* Ramum *Florentis Olivæ*
Attulit: in digitis *Aurea* † *Virga* fuit.
Hac Rabiem Populi vicit, belliq; *furorem*:
Viribus *Eloquij* Martia *tela* cadunt,

* *Gulielmo 3tio*
† *Caduceus.*

Eloquium

Eloquium & *virtus* & *Plena Potentia* vobis,
Auspicijs quorum *Pax* renovata viget.
Gallia non posthac nostras furiosa *Carinas*
Eripiet: Nobis *musta merumq;* *dabit.*
Florida *Magnanimo* potietur *Gallia Rege*:
Qui magnus *bello*, *Pace* beatus erit.
Talia dum cantat, tranquillo gurgite, *Proteus*,
Pacati plaudunt *Numina* quæq; freti.
Trytones Pegalum claris clangoribus implent:
Et reddunt *similes* littora longa *sonos*.
Emergunt imo *Thymi*, vultuq; senero
Fluctibus in medijs Tu *Galatea*, sedes.

J. Perkins.

Regiæ Navis Norfolkiæ olim Capellanus.

FINIS.